



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Vrsinium siue Irsingum, in Germania.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**

dus de Iulbach, & Henricus de schauberg, prædicti Vvolframi vxoris fratres, ad quos aduocata eius loci spectabat, qui aliquot prædijs & alijs adminiculis monasterium iuuarunt. Ita Hundius.

*Vrsinium siue Irsingum, in Germania.*

**V**Rsinium vel (vt nunc corruptè dicitur) *Irsingum*, olim castruum eo ipso loco conditum, vbi hodie S. Stephani templum in editiore colle conspicitur, nunc verò monasterium ordinis Benedictini amplissimum ac pulcherrimum, paululum infra Khauffburnium oppidum Imperiale, non procul à Vverachio amne, in medijs densissimisquæ nemoribus situm: fundatum & locupletatum est anno Christi 1182. regnante *Friderico Barbarossa*, Sueuorum Duce, & Imperatore, ab *Henrico* Marchione de Rumsperg & eius filijs *Godefrido* ac *Bertholdo*, & *Irmelgarde* filia, in media Ecclesia ibi sepultis, cum tali inscriptione:

1182.

*Hic generosorum feliciter ossa quiescunt.  
A Rumsperg Comitum Bertholdi, & God-  
federici*

*Irmelgarde simul dilecta cumq; sorore,  
Huius cœnobij qui primi ritè fuerunt  
Auctores, vera commoti relligione.*

*Ergo Deo viuant aeterna pacē fruētes.*

Z

Henr i-

Henricus fundator profectus cum Friderico Barbarossa ad recuperandam terram sanctam, obiit Neapoli anno Christi 1188. qui exceperat ex Vdilhilde coniuge Godefridum primum filium, qui mortuus est Augustæ sub cura medicorum, & reuectus inde ad Vtenburram, ibi honorificè est sepultus; postea ex Vtenburra ad Vrsinense monasterium relatus vnà cum fratre Bertholdo honorifico mausolæo conditus est, sub Abbate eius loci XXIII. Paulo Neccharo. Secundus Henrici filius fuit Bertholdus, qui obiit in quodam conflictu prope Rhenum. Irmelgardis autem filia nupsit Baroni cuidam de Vltimis, genuitque Vdalricum de Vltimis, magnum in primis Vrsinensis cœnobij benefactorem, habitantem in Adelburgo Athesinæ regionis castro.

### CAPVT LXXXIX.

*Seon siue Seun, monasterium in Germania.*

**E**st illustre monasterium *Sein* in valle *Sein*, prouinciæ Treuerensis, conditum ab *Henrico* Comite de *Sein*, quod confirmauit Ioannes Archiepiscopus Treuerensis. anno 1202.

1202.

Aliud à *Seien*si monasterio, est Bauaricum monasterium *Seon* siue *Sevym* vel *Sevven*, secundum vetera diplomata nuncupatum, & fundatum ab *Arbone* Comite *Damasiano* ac *Andecensi*, qui in *Bauarica Norica*, non pro-

cul